

† P. Iacobus Wagner (1884-1955)

(Prov. Bonaeren.)



P. Iacobus Wagner e fluvii Sarrae regione apprime catholica ortum duxit. In pago Hülzweiler natus est die 14 nov. 1884 ibique scholam primariam frequentavit. Vincula quidem parentum ac numerosae familiae cum puer 12 annorum in Vaalsensem Iuvenatum intraret, Dei amore solvit, sed semper suos tenero prosecutus est amore. Carrissimae matris imaginem usque ad mortem in mensa ante oculos habebat. Studiis humanitatis optime absolutis et votis religionis die 14 sept. 1904 nuncupatis, altioribus studiis in collegio Geistingen vacavit atque 1 aug. 1909 in cathedrali Coloniensi sacerdotio auctus est.

E Studentatu egressus secundum Novitiatum obiit. Campus autem missio-  
num non erat Germania, sed Vice-Provincia de Buenos Aires. Anno enim 1911  
una cum condiscipulo P. Ioanne Holzer dilectae patriae valedixit. Egregii  
missionarii dotes eum minime deficiebant et missionibus iam in lingua materna  
iam in lingua hispana vastas peragrans Argentinae et Uruguay regiones omni-  
bus navavit viribus usque ad annum 1927.

Aprilii huius anni Rector domus Montisvidenae renuntiatus, Superioris mu-  
nus non reliquit nisi in morte. Rebus intra domum Montisvidei quam extra  
domum egregie gestis, anno 1930 Bonas Auras transfretavit, ut domum B.M.V.  
de Victoria gubernaret. Mortuo Superiore Vice-Provinciali, P. Petro Wienen,  
anno 1932 ipse Vice-Provinciam regendam suscepit eique qua Vice-Provincialis

qua Provincialis praefuit usque ad annum 1951. Tum iterum hanc domum ad B.M.V. de Victoria rexit.

Vice-Provincia sub eius gubernio in Provinciam erecta est (1943); amplissimam Studentatus domum cum magna ecclesia aedificavit in Villa Allende, tres domos fundavit in Argentina et unam pro Iuvenatu praeparatorio in republica Uruguay. In Bella Vista fundamenta iecit novi Patrum aedificii, ut domus Iuvenatus tota pro Iuvenistis maneret. Bis Capitulo Generali interfuit, ter Visitationem extraordinariam instituit.

Cordis sui amore atque inexhausta bonitate omnium ubique sibi animos conciliavit, sed praesertim in tribunali paenitentiae, ubi cotidie maximam laboriosae vitae partem sacrificavit. Videres eum, ut exemplum afferam, diebus dominicis divinum Sacrificium celebrare hora sexta et deinde usque ad meridiem saluti animarum incumbere in confessionali. Quae vita tot laboribus ex amore Dei et proximi consumpta gloriosum finem ad martyrii instar promeruit in tristissima contra ecclesias persecutione die 16 iunii anni 1955.

Vix Em.mus Cardinalis Antonius Caggiano, hospes noster, coenae benedixerat, cum turma scelestorum magnis in platea vocibus nos e refectorio expellit. P. Wagner imprimis vitam Cardinalis salvare studet ipsi dicens: Sequere me. Sed, proh! dolor, scelesti iam domus partem qua Pater effugere posse credebat, invaserant; nihilominus Cardinalis feliciter domum vicinam penetrare potuit. Patri Wagner autem, ut ferunt, cadenti e superiore contignatione iuxta specum B.M.V. de Lourdes, peior sors obvenit. Ad se reversus alia via salutem petit atque magnis superatis difficultatibus et ictu ferreo accepto in capite, ad portam domus principalem venit, eam aperit et vicini quidam, samaritani exemplum imitantes, Patrem e gravi vitae periculo eripiunt curruque automobili in domum familiae bene meritae non valde distantem transferunt.

Paulatim infirmus vulneratusque convalescere videbatur, ita ut ad suos redire posset. Sed cum graviter ex capitinis arteriosclerosi laboraret, salus eius brevi ita declinavit, ut die S. Iacobi post meridiem lectulum quaerere cogeretur. Doctissimi medici vitam carissimi Patris salvare volentes eum viserunt et interesse consilia inierunt, sed frustra. Scientia humana iam erat impotens. Magna cum pietate moribundus ultima Sacraenta recepit. Et die 7 augusti optimus Christi miles animam suam Deo reddidit hora quarta et dimidia post meridiem in praesentia Communitatis, quae lectum circumstabat.

Funus frequentissimum fuit et ecclesia repletissima. Quando cadaver effrebatur ad sepulturam, immensa multitudo plateam occupabat omnium curruum circuitiōnē impediens.

Superiores sepelire defunctum in Villa Allende statuerunt. Quare longum iter 700 kilometrorum duobus curribus automobilibus erat agendum. In civitate Rosarii sistimus, in paroecia nostra; cadaver in ecclesia exponitur ac

fideles preces pro defuncto effundere non desinunt usque ad horam 24. Sollemni responso cantato iter continuamus et circa horam nonam venimus ad Studentatum in Villa Allende, ubi iterum sollemnissima Missa celebrata est, qua absoluta in nostrum coemeterium carissimus defunctus defertur. Requiescit igitur iuxta Studentatum ab ipso aedificatum, gloriosam expectans resurrectionem.

Primo mortis anniversario Bonis Auris maximus fidelium numerus sollemni Missae de Requie interfuit ipseque Em. mus Cardinalis Iacobus Aloisius Copello post Missam sollemniter cantavit responsum.

GULIELMUS HERLITZIUS